



FRANCISCI SERLUPI
AB INTIMO PONTIFICIO CUBICULO
IN FUNERE
JOSEPHI I.
LUSITANIÆ REGIS FIDELISSIMI
ORATIO
HABITA IN SACELLO PONTIFICIO VATICANO IDIB. MAI
CORAM SANCTISSIMO D. NOSTRO
PIO SEXTO
PONT. OPT. MAX.



ROMÆ MDCCCLXXVII.
EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONIUS
SUPERIORUM FACULTATE.



MARIÆ FRANCISCÆ LUSITANORUM REGINÆ FIDELISSIMÆ

FRANCISCUS SERLUPIUS

D. N. M. Q. E.





MPLIOR quidem certe,
honorificentiorque res
nulla aut sperari a me , aut expeti
umquam poterat , quam ut id mihi
a 2 mu-

munus demandaretur, ut de laudibus JOSEPHI PRIMI Fidelissimi Lusitanorum Regis Parentis Tui, omnium jam mœrore nobis erepti, cum ei justa publice solverentur, coram PIO SEXTO PONT. MAX. præsente Sacro Purpuratorum Patrum Senatu, dicerem. Utinam tantum afferre facultatis, & copiæ potuisssem, ut gravitati, magnitudinique rerum, de quibus mihi differendum fuit, mea haud prorsus impar esset oratio. Verumtamen, quotum quemque tam insigni doctrina, tamque absoluta eloquentia valeare putem, ut verendum ipfi non sit, ne dum maximorum Regum amplificare velit, minuat potius gloriam? Quidquid autem hoc est lucubrationis meæ, nihil erat caußæ, cur non uni Augusto Nomiini Tuo, MARIA FRANCISCA REGINA FIDELISSIMA, inscribendum, consecrandumque esse ar-

arbitrarer. Quid enim laudationis tributum Patri Tuo sit, quod non privatim ad Te pertineat, quam non tam avitorum, florentissimorumque Regnum hæredem, quam expressam, vivamque reliquerit præcellentis virtutis suæ imaginem; quæque ultiro pollicare, ipsum apud posteros non plus rebus ab eo magnifice gestis; quam Te Filia clarum ac celebrem futurum? Neque vero quisquam promitti id abs Te nobis, deferriique negaverit, si ea Te tam præclara initia, ac fundamenta regnandi, summa omnium admiratione, atque lætitia poni cernat, quibus & leniatur præcipuus ex tanti Regis interitu acceptus dolor; & orta de Te egregia populorum opinio non confirmetur solum, sed etiam duplicitur? Nam cui Pietas in Deum, humanitas, comitas, uno verbo virtus, quam sane singularem præ Te jam inde a prima

ma ætate tua tulisti , perspecta sit, is
 plane prospiciet, in tanto imperio Te
 omnium esse existimationem , expecta-
 tionemque superaturam . Cujus qui-
 dem humañitatis , comitatisque ma-
 gnitudo in spem me certissimam addu-
 cit, fore, ut non modo non despicias
 muneris, quod Tibi offero, tenuitatem;
 sed me etiam (quod & summæ feli-
 citatis loco ducam , & supplex peto ,
 ac postulo) firmissima , validissima ,
 maxima Majestatis tuæ tutela , præsi-
 dio , patrocinoque non dedignere .





A. Campanello inc.

ORATIO



I Orthodoxorum , eorumdemque illustrium virtute Regum , qui Republicam conservarint , auxerint , amplifcarint , interitus non tam solatio nobis , quod in vitam , uti speramus , introierint longe meliorem ; quam , quod hiic decesserint , dolori esse deberet ; mors quidem certe JOSEPHI PRIMI FIDELISSIMI REGIS LUSITANORUM ingentem cuique nostrum , Tibi autem in primis , PIE PONTIFEX MAXIME , ingentem , inquam , mœrem , luctumque tristissimum attulisset . Cum enim Tu Pater , Tu Caput , Tu , quemadmodum auctoritate , sic amore in omnes , studio , pie- tate Princeps sis totius Christiani nominis constitutus ; cuncte propterea omnium portes onera , qui gravantur ⁽¹⁾ ;

fi

(1) Siric. Pap. Epist. I. ad Himer. Tom. I. Epistolar. Roman. Pont. edit. Episc. Tarragon. num. I. pag. 624. Paris. 1721.

VIII

si tot Regnum tam late patentium populos , qui in ejus erant ditione , ac potestate , tradere se tristitia , atque , ob eruptum sibi non tam Dominum , quam Parentem , damnum testari suum , doloreque opprimenti intelligeres ; si christianos ceteros ubique terrarum casum Fidelissimi Ecclesiae Filii , vicemque tot gentium dolere , ac lamentari audires ; quid ageres , nisi ut tute vulnera tantæ orbitatis accepto , dum angore etiam tam vehementi tot tui corporis membra conflictari , ac pene confici videres , unus omnium maxime angerere ? Verum quæ reliquos omnes consolatur , eadem Te non modo tanta ista sollicitudine , tantoque dolore levat , sed recreat etiam , confirmatque Sancta Religio . Nam cum ipsa caveat , ut ne contristemur de dormientibus ⁽¹⁾ , sicuti contristantur ii , qui spe carent semperni boni ; justam assert causam gaudendi spe ⁽²⁾ potius , quod bene cum illo actum sit , quam quod desiderium ille sui reliquerit , condolendi . Praeclare autem cum eo esse actum , quādem negaverit is , cui memoria divina oracula repetenti succurrat , pacis , salutis , felicitatis publicæ adseritoribus , posteaquam e corpore , tanquam e custodia , vinculisque liberati sint , certum esse constitutum locum , in quo securi ævo sempiterno fruantur ? Nisi enim ita esset , non fuisset instinctu Dei Viris Principibus laudatum Sapientiae nomine , quod gentem curassent suam ⁽³⁾ , quodque Civitatibus tranquillitatem ⁽⁴⁾ salutis comitem , felicitatisque sociam intulissent . Quamobrem vivit , uti quidem nobis sperare licet , vivit , inquam , multo potio-

(1) S. Paul. Epist. ad Thessal. i. cap. 4. v. 12.

(2) Id. Ep. ad Rom. cap. 12. v. 12.

(3) Eccli. cap. 50. vers. 4. & seq.

(4) Ibid. c. 47. v. 17. & 111. Reg.

cap. 4. v. 25.

❧ IX ❧

tiorem vitam JOSEPHUS LUSITANORUM Rex , qui integritate , qui moderatione animi , qui amore , qui pietate , providentia , justitia , cura , opibus , qui bonis artibus restitutis , propagatoque commercio , pacis , salutis , felicitatis publicat cūslos , vindex , conservator , firmator fuit . Hæc ejus præcellens virtus ; hæc monumenta gloriæ , hæc veræ laudis insignia fuere ; de quibus , cum in hoc pleno majestatis Confessu verba sim facturus , et si vereor , PIE PONTIFEX MAXIME , ne cum argumentum orationis Persona , amplitudineque Regia plane dignum sit , haud digna Rege , Tuaque expectatione mea hæc omnis existat oratio ; fretus tamen clementia , & benignitate singulari Tua , confido esse Te , quidquid minus recte , minusque ad rem , ad tempus , ad locum apte , accommodateque dixerō , non voluntati , cui per se promptæ subsidio diligentiam comparavi , sed brevitati temporis adscripturum .

Jam illud certum in primis , exploratumque est , eum , qui ad gubernacula Reipublicæ sedeat , secundum Deum , toto animo , studioque omni in eam rationem incubere oportere , ut eos , qui ipsius imperio , & potestati commissi , creditique sunt , ita diligit , curet , ac tueatur , ut quam beatissimos esse velit . Non enim ille præfectus aliis est , neve imperio potitur sui unius , sed communis salutis , publicique commodi cauilla . Beatos autem ipsos fore , quo tandem modo confidat , quibus non paret ea , quorum præsidio tuti sint , ac salutari pace fruantur ? Itaque id ille contendat , idque emitatur , atque elaboret necesse est , si eos , quibus præsit , salvos esse , felicesque desideret , ut ne quid alicunde consequatur contentionis , neve genus ullum injuriæ nascatur ,

b

ne-

neve quidquam existat eorum, quæ commovere cives, civitatumque pacem perturbare posse videantur. Atque hoc illud pertinet *de quieta, tranquillaque vita*⁽¹⁾, quod Apostolus curæ esse Principi debere, quod acceptum esse Deo, quodque civibus, Christianis præsertim, expedire, ac proinde maxime expetendum, docet. Tuebitur autem Princeps, servabitque pacem, si non modo tallem se præbeat, quales eos, quibus imperat, esse cuperet; sed re etiam demonstret, eorum salutem, liberos, famam, fortunas, utilitates sibi esse carissimas. Demonstrabit vero, quemadmodum ex religione orta conspicua integritate, moderationeque animi singulari sua; sic propensione, atque amore in omnes, quo sibi cunctos ita devinciat, ut nemo sit, quin ipsum amicum sibi, ac benevolentem esse arbitretur. Adjunget porro amori, propensionique in omnes vigilantiam, curam, præscientiam; neque ulli aut sumptui, aut studio parcet, quin egentibus op̄i, solatio miseris, cultoribus optimarum artium, propagatoribus commercii, bonis denique omnibus non modo præsidio sit; sed ad colendam etiam virtutem, atque ad amplificandam, ornandamque Patriam incitamento.

Hæc fundamenta dignitatis, atque imperii JOSEPHI FIDELISSIMI LUSITANORUM REGIS fuerunt, ejus primum singularis integritas, animique præcipua moderatio, quæ cum plurimi putari in privatis nostris, quotidianisque rationibus soleant, quid est, quod in tanto imperio non mirabile quidpiam, ac prope divinum præferre viderentur? Longum est de exemplis omnibus ordine dicere,

quæ

(1) Epist. ad Timotheum 1. vers. 2. & seq.

❧ XI ❧

quæ cum eo in genere clara , atque egregia , eademque magno numero dederit ; tum constante fama celebrata sunt , omniumque sermone celebrari pergunt .

Ex hisce initiiis ducta virtus , circumspicite animis , quo progressa sit , quam late manaverit , utque in tot Regnorum , quæ in JOSEPHI ditionem venerant , quietem publicam , salutem , commoda redundarit . Etsi Ille dignitati , ut omnis poscebat ratio , gravitatem conjunxerat ; sic tamen una simul amore , cura , providentia , Cives quosque sibi conciliare cupiebat , ut spe , quam de Ipso jam puer habuerant , eodemque auxerant adolescentे , longe superata ; cum sibi vehementer persuaderent ab eo se magnopere diligи , nihilque ei tam esse cordi , quam ut consuleret universis , medereretur incommodis hominum , utilitati serviret , provideret saluti ; Parentem ipsum suum , & dicerent , & haberent , ultroque se , domos , fortunas suas in ejus fidem , tutelam , potestatem permitterent .

Atque in tanta quidem potestate , quemadmodum se adhibuerit , consideratote . Facilis ad eum aditus erat , patebant aures ejus querelis omnium , nullius inopia , ac solitudo non modo accessu illo publico , ac Throno ; sed ne cubiculo quidem excludebatur . Quid ego hac de re edita gravissima , atque firmissima testimonia Senatus , Ordinum reliquotum , Societatum , Gentium denique omnium Europæ , Africæ , Asiæ , Americæ memorem , ad quas ille Orbis terrarum Partes sui Imperii porrexerat majestatem ? Extant ejus virtutis , extant æte perenniora publica monumenta , perstabantque ad memoriam hominum sempiternam .

XII

Humanitatis autem , providentiae , curae , ecquod dari illustrius monumentum potest Valetudinario Olisiponensi amplissimo , atque maximo , quod effusis largitionibus locupletavit , quo miseris , qui ægra essent valetudine , per fugium , atque præsidium salutis esset ? Ecquod tot aliis , quæ pluribus locis extrui , bonisque erigi non solum mira humanitate , sed incredibili etiam largitate fecit ? Quid de Servis dicam ? An non horum tot millibus Brasilien- sium primum , tum Æthiopum summa humanitate subito data libertas contestatum , idemque perpetuum benignitatis plane Regiae JOSEPHI , admirabilisque liberalitatis documentum erit omni prædicatione , litteris , monumen- tilisque decorandum ? Horum pars magna capta fuerat fraude , ac vendita scelere privatorum . Commoverat rei tan- ta indignitas Benedictum XIV. memoria immortali di- gnum Pontifice . Is misertus hominum , veritusque , ne iidem calamitatis acceptæ , infelicitatisque suæ caussa a Christianis sacris deterrerentur , egit cum Johanne Fide- lissimo Rege JOSEPHI Patre , ut quoniam adeo conspicua justitia , æquitate , misericordiaque in omnes erat , stu- dioque tam ardentí flagrabat Religionis , ne convelli deinceps Indorum quemquam ex suis sedibus , abducique ca- ptivum pateretur . Quid Vos multis moret ? Cayit Rex , edixit , atque interdixit , ut ne quis inde suorum tale quidpiam tentare auderet . Interea qui abducti fuerant , misera premebantur servitute . Johanne vita functo , JOSEPHUS capessit Regnum . Ægerrime is , acerbissimeque fe- rebat multitudinem hominum tam immanem ob conditio- nem ærumnosam , adversamque fortunam suam invitam servire Reipublicæ . Itaque impatiens morarum , quas forte in-

❧ XIII ❧

injici videbat justitiæ , commiserationi , atque liberalitati suæ , non tantum liberos esse omnes ; sed donari etiam Civitate jussit . Fidem hic ego appello Lusitanorum . Eloquantur , quam salutaris ille , quam felix , quam faustus fuerit tot Regnis dies . Omnia , mihi credite , hæc una erit oratio : Prospicientia , beneficio , munere providentissimi , optimi , munificentissimique Regis , momento fors dura , atque aspera afflictorum , jacentiumque sublata ; confirmata publica quies ; auctus incredibilem in modum numerus Civium ; dati , qui pietate , studio , amore industriam Reipublicæ suam , diligentiam , operam , labore inque præstarent . Respicite , quoad longissime potest mens vestra ; respicite , inquam , spatia præteriti temporis , memoria inque recordemini ultimam Regum superiorum , atque inde usque repetentes investigatote , ultius ne umquam eorum aut præclarius eodem in genere extiterit facinus ; aut justitia , æquitate , beneficentia plenius ; aut quod conferre plus ad communem tranquillitatem , salutem , felicitatemque possit . Receptas in gratiam barbaras gentes ab Theodosio Magno , eisque adsignata oppida , agrosque divisos accepimus : Multos ab aliis gravi , longoye servitio levatos , solutosque fuisse scimus : At viam tam magnam , multitudinemque servorum a quoquam emissam manu , inque Civitatem , tanto Reipublicæ commodo , & emolumento , perductam , aut nusquam , aut vix uspiam legimus .

Sed quando ventum ad ejus prospicientiam est , quæso , attendite , ut socias huic perpetuo magnitudinem animi , liberalitatem , diligentiamque addens , consilio , industria , cura , opera , largitate constituta , firmata ,

XIV

conservata pace , saluti , felicitatique communis consiluerit ; reque ostenderit , nihil se umquam optasse magis , quam ut qui suo imperio parebant , perquam beati existimarentur , & essent . Reim agrariam , sine qua considerare vix , adhiberi autem ne vix quidem Republicæ nervi possunt , maxima cura , sumptuque pene immenso suo , coli arte longe meliore fecit : Feracitatem Transtaganis agris avaritia possessorum ademptam , lata agraria lege , restituit : Industrios , gnavos , operososque colonos , ne a dominis , quæstus majoris captatione , amoverentur , imperavit : Tagum flumen , qua parte navigari non poterat , sublatis scopolis , ac rupibus , arenaque ex alveo effossa , ad millia passuum quadraginta navigabilem reddidit , perfecitque , ut longis illac quadriremis convehi trium Provinciarum merces possint . Quid opificinas prædicem , quas singulari arte , miraque elegancia fundendo æri ; fingendis murrhinis vasis ; pannis , telisque ex lana , serico , lino , bysso , gossipio texendis , constitutas , conductis , publici commodi gratia , ad laborem ingenti impensa plus viginti millibus Operarum ? Quid conjunctas , adjutas , confirmatas summis opibus , constabiliendi , proferendique latius commercii causa , mercatorum Societates ? Quid non civiles solum , sed militares etiam Colonias in Brasiliam deducetas , præscripta eorum regundarum utiliore , facilioreque ratione ? Quid arte typographicam formarum nitore , & æquali ductu linearum redditam præstabiliorem ? Quid luxum , quem honesti dissuasorem , populatoremque opum ; quem gurgitem , atque voragine patrimoniorum ; quem tempestatem , quem labem , quem pestem , quem perniciem

Rei-

Reipublicæ Veteres merito appellarunt ; quid luxum , inquam , salutari lege sublatum , inductamque diligentiores Oeconomiam moderationis , temperantiaeque plenam ? Quid innumerabilia prope alia generis ejusdem , quæ ne numerando quidem percensere licet ? Præclara hæc sunt , singularia , mira providentiae , liberalitatis , munificentiae argumenta , nihil ut supra ad pacem , ad otium , ad salutem , ad felicitatem Reipublicæ desiderari posse videatur .

Verum plura fuisse ab eo profecta video , ut illustriora , sic etiam mirabiliora . Horum laude si quem forte parem , quod nusquam legi ; at superiorem certe habuit omnino neminem . Olisipo Urbs erat Princeps Regni Lusitanorum amoenitate loci , amplitudine , nobilitate , Populi frequentia , magnitudine , ornatusque ædium cum florentissimis ceteris , summisque Europæ Urbibus comparanda . Hujus pars maxima horribili concussa Terræmotu repente concidit ; Reliqua non post multo , concepta flamma , misere conflagravit . Multi repente oppressi interierunt : Ceteri , quod spes evadendi omnis posita in celeritate esset , quacumque tandem fors dabat , erumpere , sibique fuga salutem petere curabant . Ut trepidus quisque se in tutiorem locum repperat , incertus salutis Parentum , Conjugis , Liberorum ; certus ærumnarum , ingemiscere , vocem attollere , ejulare . Plena omnia perturbationis , horroris , ploratus , clamoru erant . Rex etsi damna , luctumque Civitatis dolens ; intrepidus tamen adest animo , quidque suarum sit partium cogitans , ad se Ministros accersi jubet . Accurrentibus adstat . Præcipit , dent operam , ne quid plus Civitas detinimenti fe-

XVI

ferat . Diligenter effodi corpora ruiniis sepultorum iubet , & si quos eorum vivos educi contigerit , sacris pœnitentiæ primum a Sacerdotibus expiari ; mox eo asportari faciant , ubi commode curari possint . Monet etiam atque etiam , tuto ut sit Virginum devotarum integritas , & religio . Cavet , ne a quoquam temerari Sacra patientur . Imperat inde militi , ut vigilet , provideatque , ne qua (ut in publico infortunio accidere plerumque solet) latrocinia fiant , ne qui impetus , ne qua seditio . Dat negocium vectoribus , ut unde unde possint cibaria , vespes , materiam comportent , ne quid Civi , quod ad vitam sustentandam conferat , deesse videatur . Agenda erant uno tempore omnia : Procuranda Sacra : Collegiis Virginum consulendum : Extrahenda ex acervis ruderum corpora : Construendæ e tabulis casæ , ne qui sub diamanere cogerentur : Convehenda denique , paranda , perficienda quæcumque conducere existimabantur posse , ut incolumitati Populi prospiceretur , opisque solatio tolerabilior miseris esset accepta calamitas . Nihil neglectum est ; nihil defuit . Perfecta res omnis fuit humanissimi , providentissimique Regis amore , vigilantia , cura , imperio , adeo ut nemo quidquam agendum sibi putaret esse , quin ejus nutum intueretur , cui summopere uni salutem Civitatis , quietem , comoda antiquissima , atque carissima esse comperisset . Adsint modo , qui Valentianos , qui Theodosios , qui Marcianos Cæsares merito admirantur . Proferant ex privatis , publicisque tabulis aliquid , ex quo intelligi possit , plus quidpiam eos præstitisse salvandarum Civitatum , vel levandæ cladis , calamitatisque publicæ caussa . Non est , non est , mihi credite , quidpiam

ma-

XVII

majus , aut amplius de ullo Principum superiorum vel traditum verbo ; vel litterarum mandatum monumentis .

Sed quid multis hæc persequor , quæ quamvis egregia sunt ; non tanti esse tamen intelligo , ut cum iis , quæ postmodum ille gessit , conferri posse videantur . Auditis eversam ingenti terræmotu , ac voracibus flammis incensam Urbem ; ejusque exitio afflitas , profligatas , prostratas fortunas Olisiponensium . Cognoscite nunc , quam Urbs ipsa commodior , ornatior , splendidior restituta JOSEPHI munificentia sit ; quamque opes Civium , ejus auspicio , defensione , subsidiis , creverint . Rectâ primum ad normam producta longius ; tum æquata , lapideque strata viarum planities ; magnificenter , elegantiusque refecta Templa ; affabre privatorum ædes incredibili numero extructæ ; multiplicata fora ; plateæ , ambulationesque amoenis in locis constractæ ; fontes , ac salientes egrie , splendideque ducti ; curiæ longis , spatiolis , excellis porticibus arcuati operis subnixæ ; positi insignes triumphis arcus ; ora maritima mira crepidine , nobilique lorica passim instructa ; ædificia denique cetera , quæ ad ætarium , ad artifacia ad arima opportuna essent , ita constituta sunt , ut qui Olisiponem , quæ antehac fuit , viderant , cum nova collatam vix quidquam fuisse confitentur . Quid de opibus Olisiponensium loquar ? Sublatis monopolii , quibus coëmendi , vendendique penes paucos , fraude , potestas erat ; quibusque , his ditatis , Civis ceteri nihil fere facere lucri poterant ; agrorum cultura , qua nihil in communi vita opportunius est , nihil uberius , nihil melius ; opificiis ; artibus denique omnibus in statum , conditionemque longe potiorem redactis ;

con-

❧ XVIII ❧

constructis navigiis fluvialibus , magnisque marinis one-
 rariis navibus ; re nulla denique prætermissa , quæ ad lo-
 cuplestandos Cives pertineret , eo adducta ab Rege res est ,
 ut miris accessionibus non duplicatae tantum ; sed admirabi-
 lem etiam in modum fortunæ Civium auctæ , amplificatæque
 cernantur . Hæc non plus annis quindecim universa , pro-
 spicientia , liberalitateque Regis parata , cœpta , perfecta
 sunt , quibus certe ipse non superavit modo Regum , qui
 ante se Regnum Lusitanæ gesserant , sed æquavit etiam
 gloriam Orthodoxorum Cæsarum Romanorum . Quis
 enim Monasteria aut Alcobasanum , aut Battagliense , aut
 Bethleemiticum , aut Manfrense , quibus fundatis Alphon-
 sus Primus , Johannes Primus , Emanuel , Johannes Quintus
 singularem sibi laudem pepererunt ? Quis illa , inquam ,
 Monasteria , ut ut magnifica , cum iis tam magnis , tam
 præclaris , tam multis , uno tempore pro tranquillitate
 Civium , pro cultu Religionis , pro salute , pro felicitate
 tam provide , tam liberaliter , tam ornate , splendideque
 absolutis operibus conferri ulla ratione posse arbitretur ?
 Byzantium Constantinus Magnus instauravit , amplificavit ,
 ornavit , appellarique propterea voluit Constantinopolis
 nomine . Sed non ea urbs omnis conciderat , neve tam
 erant afflictæ fortunæ Byzantiorum . Muros solum oppidi ,
 ædesque , etsi multas , non omnes tamen Septimii Seve-
 ri Augusti furor everterat . Contra Olisipo motu vehe-
 menti terræ , magnoque incendio funditus deleta , excisis
 opibus Civium , multo est perpaucis annis non am-
 plior , atque ornatior modo restituta ; sed etiam copio-
 sior . Et digniorem tamen quemquam fuisse eo genere , di-
 cam , memoria sempiterna hoc Rege , qui supergressus
 suo-

suorum Majorum gloriam , amore in Patriam , beneficentia , splendore cum celebritate certarit excellentium Imperatorum ? Hæc rem gerendi tam prudens , tamque expedita ratio ; hæc tot præclara in Cives amoris , liberalitatisque argumenta ; hæc tanta cautio , ne quod in periculum pax , salus , felicitas publica veniret , ecquem non moveant , non impellant , non cogant , ut nihil ei , secundum Deum , magis fuisse cordi , quam ut Populi ditioni , Imperioque subiecti suo quam beatissimi essent , & agnoscat , & fateatur ?


Secundum Deum dico : nam , dum vixit , indicia præbuit , constantiae , solidæque virtutis : hujusque causa cum jam prospiceret , imminere sibi supremum diem , serio , curaque religiosa se se ad exitum comparaverat . Quem enim fugiat , quantam ille pecuniæ vim , atque copiam , propitiationis ergo , iis erogari fecerit , qui aut vitam degerent in egestate , aut morbo in Nosocomiis conflictarentur ? Testata præterea , nota , pervulgata sunt , quæ Ille moriens Filiæ commendavit , quam post se noverrat imperio esse potituram . Hanc Ille , ut obsequio , ac pietate maiores coleret ; ut propinquos concordia sibi majorem in modum conjungeret ; utque amore omnes complecteretur , rogavit . Oh spectata virtute Regem ! Oh immaturam , eoque nomine graviorem mortem , quæ Lusitanis Parentem Patriæ , nobis religione fratrem , Tibi , PIE PONTIFEX MAXIME , Ecclesiæque Catholicæ universæ Fidelissimum Filium sustulit . Quamquam vero dolendum est in tam gravi vulnere , ea tamen nos consolatio sustentabit , quod non modo spes sit eum in Tabernacula Christi receptum non deposuisse , sed mutasse Regnum ;

XX

gnum⁽¹⁾; verum etiam, quod Filiam MARIAM FRANCISCAM LUSITANORUM REGINAM FIDELISSIMAM effigiem oris, sermonis, animi sui, hæredeim ut Imperii reliquerit, ita quoque virtutis, ac pietatis. In hac enim, quam tanta religione, tantoque in Patriam studio accessisse videmus ad gubernandam Rempublicam; in hac, inquam, viva, atque incolumi superstitem ille se denunciat; ac defensorum sacrorum, publicæque pacis, salutis, felicitatis assertorem, & vindicem fore pollicetur.

Quid restet igitur, nisi ut contendendum nobis, agendumque obsecratione, operibus pietatis, sacrificiis sit, ut ei expiato, exutoque impedimentis expeditus in cælestem Hierusalem aditus pateat, ubi perpetua requie, luceque gaudeat sempiterna? Isto consilio, PIE PONTIFEX MAXIME, in hunc nos aptissimum ad petendum, & ad impetrandum evocasti locum: Id ille Tuis se precibus, qui mediatoris Dei, & hominum Christi Jesu vicem in terris sustines; id re divina, cuius faciundæ caussa conventum huc est; id oblato Immaculati Agni pretioso sanguine, brevi se sperat consequiturum.

(1) Ambros. *Orat. de Obitu Theod. Imp.* n. 2.



REF. SECTION

941.60055

10/10/88

THE DEPT. OF CENTER
LIBRARY



V 77

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19

19